

cultum instituendi, qui tamen possit ejusmodi esse, ut in re aliqua ad venerandum proposita nec veritatem attingat, nec sanctitatem.

VII. Nesciunt miseri, quo se vertant, cum ad hunc locum argumento coacti debent impingere, nempe ad Ecclesiæ auctoritatem. Est enim valde terribilis locus iste, ac prudentibus viris formidandus. Quem tamen isti cum se desperent posse perumpere, utuntur dolis, atque fallaciis, ut cuniculo evadant. Ajunt ergo, errorem posse contingere in cultu hostiæ, quæ non sit consecrata, probabiliter tamen consecratam putamus; in reliquiarum veneratione, quas adducti argumento satis probabili cujuscumque hominis sanctitate conspicui censemus esse, cum latronis, aut scorti esse possint.

Quibus facile respondemus, ubi non extet Ecclesiæ præceptum, errorem posse contingere in hostia colenda, quæ non sit consecrata. At si Pontifex unam aliquam hostiam ad cultum proponeret omni populo Christiano; tunc enim vero nec ipse Pontifex, nec populus omnis Christianus errare posset. Non enim Deus pro sua in populum Christianum benignitate potest permittere, ut Ecclesiæ Catholice proponatur ad cultum, quod non est sanctum, aut consecratum. Exemplum sit in Concilio Œcumenico, ubi solet Eucharistia ad cultum proponi. Quis enim dicat, in cultu hostiæ falli posse Concilium, quod Ecclesiam Catholicam representat? Id ipsum de Sanctorum reliquiis dictum existima, quarum cultum Romanus Pontifex lege lata præscribit omni populo Christiano; ut Petri, & Pauli Apostolorum in Vaticana Basilica, & siquæ sunt aliæ, de quibus extet insigne decretum Apostolicæ Sedis, non modo cultum permittentis earum, sed toti Ecclesiæ præcipientis. Ergo ad errorem confugere singularis Ecclesiæ, quæ Divorum reliquias possit habere supposititias, hominis est quærentis latebras ad fallendum, non sapientis Theologi ad disputandum.

At enim, inquit, certa, & firma Ecclesiæ decreta esse